



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.


Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



40

Polem.

755

i

4° Polen. 755 i

4 Polm 755 i

CONSLIVM
DELECTORVM CARDI-
NALIVM ET ALIORVM
prælatorum, de emendan-
da Ecclesia.




EPISTOLA IOANNIS STVRMII DE
eadem re, ad Cardinales ceterosq; uiros
ad eam consultationem
delectos.



M. D. XXXVIII.

MS. 1621

4134



CONSILIVM

DELECTORVM CARDINALIVM ET
aliorum Prælatotum, de emen-
danda Ecclesia.



EATISSIME PATER,
Tantum abest, ut uerbis explicata
re possimus, quām magnas gra-
tias Respublica Christiana Deo
Opt. Max. agere debeat, quod
te Pontificem hisce temporibus,
ac Pastorem gregi suo præfeces.
rit, eamq; quam habes mentem

dederit, ut minime speremus cogitatione eas quas Deo
gratias debet, consequi posse: nam sp̄iritus ille Dei, quo
virtus cœlorum firmata est, ut ait Propheta, labantem,
imō ferē collapsam in præcep̄ Ecclesiam Christi per te
huic ruinæ manum, ut uidemus, supponere decreuit,
eamq; erigere ad pristinam sublimitatem, decoriq; pristi-
no restituere, certissimam dictione huius sententiae con-
iecturam nos facere ualemus, quibus Sanctitas tua ad se
uocatis mandauit, ut nullius aut commodi tui, aut cu-
iuspiam alterius habita ratione, tibi significaremus abu-
sus illos, grauissimos uidelicet morbos, quibus iam pri-
dem Ecclesia Dei laborat, ac presertim hęc Romana Cu-
ria, quibus effectum prope est, ut paulatim ac sensim in-
grauescentibus pestiferis his morbis magnam hanc rui-
nam traxerit, quam uidemus. Et quoniam Sanctitas
tua Sp̄iritu Dei erudita, qui, ut inquit Augustinus, loqui

A 2 turin

tut in cordibus nullouerborum strepita, probet ouerat
principiū hōrum malorum inde fuisse, quod nonnulli
Pontifices tui prædecessores prurientes auribus, ut ins-
quit Apostolus Paulus, coactuauerūt sibi magistros ad
desideria sua, nō ut ab eis discerent, quod facere debes-
tent, sed ut eorū studio & calliditate inueniretur ratio,
qua liceret id, quod liberet: inde effectū est, præterquam
quod p̄incipatum omnē sequitur adulatio, ut umbra
corpus: difficillimusq̄ semper fuit aditus ueritatis ad
aures Principum, quod confessim prodirent Doct. qui
docecent Pontificem esse dominum beneficiorum om-
nium: ac ideo cum dominas iure uendat id quod suū
est, necessario sequi, in Pont. non posse cadere Simoniz-
am, ita quod uoluntas Pontificis qualiscunq; ea fuerit,
sit regula qua eius operationes ac actiones dirigātur: ex
quo proculdubio effici, ut quicquid libeat, id etiā liceat.

Ex hoc fonte, Sancte Pater, tanquam ex equo Troia-
no irrupēte in Ecclesiam Dei tot abusus, & tam grauissi-
mi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperatio-
nem fecerūt salutis laborasse, uel manasse harum rerum fa-
mam ad infideles usq;. Credat Sanctitas uestra scien-
tibus, qui ob hāc præcipue causam Christianam religio-
nem derident adeò, ut per nos, per nos iniquimus, no-
men Christi blasphemetur inter gentes. Tu uero San-
ctissime Pater, & uere sanctissime, edocetus à spiritu Dei,
præter ueterē illam tuam prudentiam, cū totus in hanc
curam incubueris, ut sanatis egrititudinibus Christi Eccle-
sia tuae curae commissa, bonam ualeitudinem recuperas-
ret, uidisti, ac probe uidisti, inde incipiendam esse medi-
cationem, unde primum ortus est morbus, securusq; do-
ctinam Apostoli Pauli, uis esse dispensator, non domi-
nus, &c.

nas, & fidelis inueniri à Domino: iniatus etiam seruū
illum, quem in Euangeliō Dominus præfecit familiæ
suæ, ut det illis in tempore tritici mensuram, ac propre
te de creuisti nolle quod non liceat, nec cuius posse quod
non debes. Ideoq; nos ad te accersiuisti, imperitos qui
dem ac tam magno negocio impares, non patim taz
men affectos cum honori et gloriæ Sanctitatis tuæ, cum
præcipue instauratiō Ecclesiæ Christi, ac grauissimis
uerbis iniunxisti, ut omnes hos abusus colligeremus, ti
biq; illos significaremus, obtestatus nos reddituros esse
rationem huius negotiū nobis demandati Deo opti
mo, si negligēter ac infideliter ageremus. Atq; ut omnia
liberius inter nos tractari possent, tibiq; à nobis explicas
ti, iure iurando nos obstrinxisti, addita etiam excommu
nicationis pœna, ne cuiquam aliquid huius nostri mu
neris proderemus. Nos igitur tuo imperio parentes,
collegimus quanto paucioribus fieri poterit, hos mor
bos, eorumq; remedia, ea inquam quæ pro tenuitate in
genij nostri excogitare potuimus. Tu uero pro tua boni
tate ac sapientia omnia resarcies ac perficies, in quibus
pro tenuitate nostra offendenterimus. Verū ut omnia cer
tis quibusdam finibus cōpleteamur, cum Sanctitas tua,
& sit princeps prouinciarū harum quæ subsunt ditioni
Ecclesiasticæ, & sit Pontifex uniuersalis Ecclesiæ, sit etiā
Episcopus Romanus, nihil nobis dicendū sumpsimus
de his quæ pertinet ad hunc principatū Ecclesiæ, quem
tua prudentia optime regi uidemus, tangemus tantum
ea quæ pertinent ad officium uniuersalis Pontificis, &
nonnulla quæ sunt Romani Episcopi. Illud uero ante
omnia Beatissime Pater putamus statuendum esse, ut
dicit Aristoteles in Polit. sicut in unaquaq; Repub. ita &
A. 3. in hac

In hac Ecclesiastica gubernatione Ecclesiae Christi hanc
præ omnibus legem habendam, ut quantu[m] fieri potest,
leges seruentur. Nec putemus nobis licere dispensare in
legibus, nisi urgenti de causa & necessaria. Nulla namq[ue]
pernicio[s]ior consuetudo in quavis Repub. induci po-
test, q[uod]q[ue] hac legum inobseruantia, quas sanctas maiores
nostris esse uoluerunt, eatumq[ue] potestatem uenerandam
& diuinam appellantunt. Scis tu hæc omnia Optime
Pont. legisti iam pridem apud Philosophos & Theolo-
gos, illud uero non tantum huic proximum, sed longe
prius & potius superiore p[ro]utamus, non licere Pontifici
& Christi Vicario in usu potestatis clavium, potestatis
inquimus à Christo ei collatæ, lucrum aliquod compa-
rare. Hoc etenim est Christi mandatum: Gratis accepis-
stis, gratis date. His primum statutis, cum Sanctitas ue-
stra ita gerat curam Ecclesiae Christi, ut ministros plurim-
os habeat, per quos hanc curam exerceat. Hi autem sunt
Clerici omnes, quibus mandatus est cultus Dei, Presby-
teri præsertim, & maxime Curati, & præ omnibus Epis-
copi. Idcirco si gubernatio hæc sit recte processura, pri-
mo danda est opera, ut hi ministri idonei sint muneri
quo fungi debent.

Primus abusus in hac parte est Ordinatio Clerico-
rum, & præsertim Presbyterorum, in qua nulla adhibe-
tur cura, nulla adhibetur diligentia, quod passim qui-
cunque sint imperitissimi, sint uilissimo genere orti, sint
malis moribus ornati, sint adolescentes, admittantur
ad Ordines sacros, & maxime ad Presbyteratum, ad cha-
racterem inquam Christum maxime exprimente: hinc
innumeræ scandala, hinc contemptus Ordinis Ecclesia-
stici, hinc diuini cultus ueneratio non tantu[m] diminuta,
sed etiam

sed etiam prop̄p̄iam extincta. Ideo putamus optimam
fore, si Sanctitas tua primo in hac urbe pr̄ficeret huic
negocio duos aut tres Prelatos, viros doctos & probos,
qui Ordinationibus Clericotum pr̄aeferent: iniungere
etiam Episcopis omnibus, adhibitis etiam penitentia censu
rarum, ut id curarent in suis dioecesibus. Nec permittat
Sanctitas vestra, ut quispiam ordinetur, nisi ab Episco-
po suo, vel cum licentia deputatorum in urbe, aut Epi-
scopi sui: insuper ut in Ecclesijs suis quisq; Episcopus ma-
gistrum habeat, a quo Clerici minores & literis & moti-
bus instruantur, ut iura pr̄cipiant.

Abusus alius maximi ponderis est in collatione bene-
ficiarum Ecclesiasticorum, maxime Curatorum, & pr̄e
omnibus Episcopatum, in quibus usus inualuit, ut pro-
uideatur personis quibus conferuntur beneficia, non au-
tem gregi Christi & Ecclesiae. Ideo in conferendis his
beneficijs Curatis inquam, sed pr̄e alijs Episcopatibus
curandum est, ut conferantur uiris bonis doctisq;: ideo
ut per se possint fungi illis munib; ad quæ tenentur;
insuper illis, quos uerisimile est residentiam facturos,
non ergo Italo conferendum est beneficium in Hispania,
aut in Britannia, aut econtra: hoc seruandum est
tam in collationibus cū uacant per decepsum, quam in
cessionibus, in quibus nunc tantum habetur ratio uo-
luntatis cedentis, nullius pr̄cerea rei in cessionibus: his
si quispiam pr̄ficeretur probus unus pluresue, bene fa-
ctum iri putaremus.

Alius abusus, cum beneficia conferuntur, seu cum ce-
duntur alijs, irrepsit, in constituendis super eorum fru-
ctibus pensionibus, imò quandoq; cedens beneficio os-
tines sibi fructus reseruat. Qua in re illud est animad-
uerens

merendum, nulla alia de causa, nullo opilio iure penitus
mes constitui posse, nisi ut qualdam eleemosynas, quæ
in pios usus & indigentibus concedi debent. Nam redditus sunt annexi beneficio, ut corpus animo: ideo sua
natura pertinet ad eum qui beneficium habet, ut possit
ex eis uiuere honeste pro suo ordine, simulque queat sub-
stинere impensas pro diuino cultu, & templi sacrarumq;
sedium reparationem, & quod reliquum est, in pendat
in pios usus: hæc est enim natura eorum reddituum. Ve-
rum sicuti in rerum naturæ administratione nonnulla
fiunt à natura uniuersali præter inclinationem uniuersa
lis naturæ: sic in Pontifice, qui est uniuersalis dispensa-
tor bonorum Ecclesiæ, si uiderit eam fructuum portio-
nem, quæ in pios usus expendi debet, aut eius partem in
pium quempiam alium usum ut expendatur magis ex-
pedire, potest proculdubio id facere. Ideo iure merito
pensionem ponere potest, ut subueniat egeno, præser-
tim Clerico, ut honeste queat uitam ducere, pro eiusdem
ordine. Ideo omnes fructus reseruari, adimiq; id omne,
quod diuino cultui sustentationi q; habentis beneficium
tribui debet, magnus est abusus. Itemq; pensiones dari
Clericis diuitibus, qui cōmode & honeste uiuere queūt
ex redditibus quos habent, magnus certe abusus, tollen-
dus uterq;.

Alius item abusus in permutationib; beneficiorum
quæ fiunt cum pactionib;, quæ Simoniacæ omnes
sunt, nulloq; respectu habitu nisi lucti-

Abusus aliis omnino auferendus, qui calliditate qua-
dam non in illorum peritorum iam inualuit in hac Cu-
ria: nam cum lege cautum sit, beneficia testamento lega-
ti non posse, cum non sint testatoris, sed Ecclesiæ, & ut
res hæc

tes hæc Ecclesiastica seruaretur cōmunis bōnorū omnium, non autem fieret priuata cuiuspiam: inuenit humana, non tamen Christiana industria plurimos modos, quibus huic legi illudatur. Nam fiunt renunciationes Episcopatum, aliorumq; beneficiorum, primo cum re gressu, addunt reseruationem fructum, addunt reseruationem collationis beneficiorum. Insuper cumulant reseruationem administrationis, faciuntq; hoc pacto Episcopum, qui nullum ius habet Episcopi: alterum vero, cui iura omnia Episcopi competant, non tamen Episcopum: Videat Sanctitas tua, quo processit assentatoria illa doctrina, qua tandem effectum est, ut id liceat quod libeat. Quid quæso est hoc, nisi heredem beneficij sibi constituere? Alius præter huc inuentus est dolus, cum scilicet coadiutores dantur Episcopis per eib; minus idonei quam ipsi sint, ita ut, nisi quispiam claudere oculos voluerit, liquido videat heredem ea ratione institutum.

Item lex est antiqua iustificata à Clemente, ne filii presbyterorum habeant parentum beneficia, ne scilicet res communis hoc modo fiat priuata. Dispensatur tamen, ut audimus, in hac ueneranda lege. Nolumus tamen id quod uerissimum esse quiuis prudens per se iudicauerit, nullam rem magis conflasse hanc iniudiciam Clericis, unde tot seditiones sunt ortæ, & aliæ instant, quæ hanc auersionem commodorum & prouentuum Ecclesiasticorū à communi ad rem priuata: ante hac omnes sperabant, nonc in desperationem adducti, acuunt linguis contra hanc sedem.

Alius abusus est in expectatiis & reservationibus beneficiorum, quibus & datur occasio, ut aliena mors desideretur, & libenter audiatur. Præcludunt etiam aditum

Supremum dignioribus cum uocant, danc liabos canam. Omnes has putamus tollendas esse.

Abusus alius est eadem calliditate inuentus : Nam quædam beneficia incompatibilia iure sunt, & appellantur, quæ ex ipsa uia nominis maiores nostri admonitione nos uocuerunt, nō deberi ea uni conferri : nunc in his dispensatur, non tantum duobus, sed pluribus, & quod peius est, in Episcopatibus. Hunc morem qui ob auaritiam tantum inualuit, tollendum duicitus, presertim in Episcopatibus. Quid de unionibus beneficiorum ad uniuersitatem unius, ne scilicet obster illa beneficiorū pluralitas ad obtinenda incompatibilia, nonne est mera fratre legis?

Alius etiam abusus inualuit, ut Reuerendiss. Card. Episcopatus conseruantur seu commendentur, non unus tantum, sed plures, quæ Pater Beatissime putamus magno esse momenti in Ecclesia Dei: primo quidem, quia officium Cardinalatus, & officium Episcopi, incompatibilia sunt. Nam Card. est assistere Sanct. tuæ in gubernanda uniuersali Ecclesia. Officium autem Episcopi est, pascere gregem suum, quod præstare bene, nec ut debet potest, nisi habitet cum omnibus suis, ut pastor cù grege.

Præterea Pater Sanct. hic usus maxime obest exemplo. Quomodo namque haec sancta Sedes poterit dirige & corriger aliorum abusus, si in præcipuis suis membris abusus tolerantur? Nec ob id quod Cardinales sint, putamus eis magis licere transgredire legem, immo longe minus. Horum enim uita debet esse alijs lex: nec imitandis sunt Pharisæi, qui dicunt & nō faciunt, sed Christus Salvator noster incepit facere, & postea docere. Amplius hic usus nocet in consultationibus Ecclesiæ, nam haec licentia somentum est auaricie. Ambiunt præterea Card. à Regibus

Regibus et Principib⁹ Episcopatus, à quibus postea de-
pendent: nec possunt libere sententiam dicere, immo si
possent & uellet, fallerentur tamē passionē animi in
iudicando perturbati. Ideo utinam hic mos tolleretur,
& prouideretur Card. ut possent honeste pro dignitate
uiuere, omnibus æquales redditus, quod putamus faci-
le fieri posse, si uellemus abūcere seruitutem Mammo-
næ, & Christo tantum seruire.

His castigatis quæ pertinent ad constituendos tibi mi-
nistros, quibus ueluti instrumentis & cultus Dei bene
administrari, & populus Christianus in vita Christiana
bene institui & regi possit, accedendum nobis est ad il-
la, quæ spectant ad gubernationem Christi populi. In
qua re Parte Beatissime abusus ille primo & præ omni-
bus corrigendus est, ne scilicet Episcopi primum, & præ
omnibus alijs, deinde ne Curati abessent à suis Ecclesijs
& Parochijs, nisi ob grauem aliquā causam, sed residen-
tiam facerent, maxime Episcopi, ut diximus, quia sunt
sponsi Ecclesie ipsis demandatae. Nam per Deum in a-
mortalem, quis miserabilior tunc Christiano cōspectus
esse potest, Christianum orbem peragrandi, q̄ hæc solis
tudo Ecclesiārū? Omnes ferè pastores recesserunt à suis
gregibus, commissi sunt omnes ferè mercenarij. Impos-
tienda ergo esset magna poena Episcopis præ alijs, dein
de Curatis qui absunt à suis gregibus, non tantum censu-
ratim, sed etiam ne recipieren reditus illi qui absunt,
nisi imperata licentia, à tua Sanctitate Episcopi, Curati
ab Episcopis suis, per breue aliquod temporis spacium.
Legantur in hoc aliqua lura, aliquorum Concilioū de-
creta, quibus cauēt erat, Episcopo non licere abesse à
sua Ecclesia, nisi tribus tantum Dominicis.

B 2 Abusus

Abusus etiam est, quod hoc Reverendiss. Card. absint
at hac Curiæ, nec aliquam partē faciant quippiam eius
officij, quod spectat ad Cardinales. Ideo & si fortasse
non omnes, quia expedire existimamus nonnullos ha-
bitare in prouincijs suis, nam per illos tanquam per ra-
dices quasdam in totū orbem Christianum sparlags con-
tinentur populi sub hac Romana Sede, plurimos tamē
esset Sanctitatis tuæ uocare ad Curiam, ut hic residerent.
Hac enumeratione præterquam quod fungerentur offici-
o suo Card. prouideretur etiā amplitudini Curiæ, sup-
plereturq; si quid ei detractum fuisset per recessum mul-
torū Episcoporum, qui ad suas Ecclesiæ se contulissent.

Alius abusus magnus, & minime tolerandus, quo
uniuersus populus Christianus scandalizatur, est ex im-
pedimentis quæ inféruntur Episcopis in gubernatione
lvarum ouium, maxime in puniendis scelētis, & corti-
gendis. Nam primo multis vijs eximunt se mali homi-
nes, præsertim Clerici, à iurisdictione sui Ordinarij: de-
inde si non sunt exempli, consuigunt statim ad pœni-
tentiam, uel ad Datariam, ubi confessim inueniunt uia-
m imponitati, & quod peius est, ob pecuniam præfis-
tam: hoc scandalum Beatissime Pater tanto pere conq-
uirbat Christianum populum, ut non queat uerbis ex-
pliari. Tollantur, obtestamur Sanctitatē tuam per san-
guinem Christi, quo redemit sibi Ecclesiam suam, eamq;
lavuit eodem sanguine: tollantur hec maculae, quibus si-
daretur quispiam aditus in quacunq; hominum Repu-
blica aut regno, confessim, aut paulo post in preceps rive-
ret, nulloq; pacto diutius constare posset: & tamen pu-
tamus nobis licet, ut petros in Christianam Rēmpib.,
inducantur hæc monstra.

Alius.

Alius abusus corrigendus est in Ordinibus religiosorum, quod adeo multi deformati sunt, ut magno sine scandalo secularibus, exemploq; plurimum noceant. **Cōuentuales Ordines abolendos esse putamus omnes**, non tamen ut alicui fiat iniuria, sed prohibendo, ne nos uos possint admittere. Sic enim sine ullius iniuria cito delerentur, & boni religiosi eis substitui possent. Nunc uero putamus optimum fore, si omnes pueri, qui non sunt professi, ab eorum monasterijs repellerentur.

Hoc etiam animaduertendum & corrigendum censemus, in prædicatoribns & confessoribus constituedis à fratribus, quod ab eorum præfectis primum adhiberetur magna diligentia, ut idonei essent, deinde ut præsentarentur Episcopis, quibus præ omnibus cura Ecclesiæ est demandata, à quibus examinarentur per se, uel per uiros idoneos, necnisi eorum consensu admitterentur ad hæc peragenda.

Diximus Beatissime Pater, non licere aliquo pacto in usu clauium aliquid lucri uententi comparati: est in hac re firmum uerbum Christi: Gratis accepistis, gratis date. Hoc non tantum ad Sanctitatem tuam pertinet, sed ad omnes qui sunt participes huius potestatis, ideo à legatis & nuncijs uellemus idem seruari. Nam sicut usus, qui nunc inuoluit, dedecorat hanc Sediem, & conturbat populum, ita si fieret econtra, maximum decus huic Sedi compararetur, & ædificaretur mirifice pulus.

Abusus aliis turbat Christianum populum in Monastribus, quæ sunt sub cura fratrum cōuentualium, ubi in pleriq; monasterijs sunt publica sacrilegia cum maximo omnium scandalio. Auferat ergo Sanctitas uesta,

B. 3. omnem

**omnem eam citam i Contentis, eamq; det aut
Ordinarijs, aut alijs, prout melius videbitur.**

Abusus magnus & perniciosus est in Gymnasij puplicis, praesertim in Italia, in quibus multi Philosophiae professores impietatem docent, immo in templis sunt disputationes impissime: & si quae sunt piaz, tractantur in eis res diuinae coram populo ualde irreuerenter: ideo putaremus indicetum Episcopis, ubi sunt publica Gymnasia, ut per eos admoneretur Lectores qui legunt, ne docerent adolescentes impietatem, sed ostenderent insitum luminis naturalis in quaestib; pertinen- tibus ad Deum, ad mundi nouitatem, uel aeternitatem, & similia, eosq; ad pietatem dirigerent. Similiter ne permitterent fieri publicas disputationes de huiusmodi quaestib; nego etiam de rebus Theologicis, quae certe multum existimationis perdunt apud uulgas, sed priuati de his rebus siant disputationes, publicq; de alijs quaestib; Physicis. Idemq; iniungendum esset omnibus alijs Episcopis, maxime insignium ciuitatu, in quibus huiusgenetis disputationes fieri solent. In impressione etiam librorum eadem adhibenda esset diligentia, scribenduq; Principibus omnibus, ut caueant, ne passim quiuis libri in eorum ditione imprimantur. Dandaq; esset huius rei cura Ordinarijs. Et quoniam pueris in ludis solent nunc legi Colloquia Erasmi, in quibus multa sunt, que rudes animos informant ad impietatem, ideo eorum lectio in ludis literarijs prohibeda esset, & si quae alia sunt huius ordinis.

Post hec que ad instituendos ministros tuos in hac uniuersalis Ecclesie cura, & in eius deinde administracione spectare uidentur, animaduertendu est in Cratij,
que

quæ sunt à tua Beatus, præter priores abusus, alios
quoq; abusus introductos esse.

Primus est in fratibus seu religiosis apostatis, qui
post uotū solemne à sua religione recedūt, impetrantq;
ne teneantur gerere habitum sui Ordinis, imò nec uestis
gium habitus, sed tantū uestem honestam Clericalem:
prætermitamus nunc de lucro. Iam enim diximus in
principio, non licere ex usu clauium & potestatis à Chri-
sto traditæ comparare sibi lucrum, sed etiam ab hac grar-
tia abstinentia. Nam habitus est signum professionis,
unde nec ab Episcopo potest dimitti, cui tenetur hi apo-
stata, ideo hęc gratia eis concedi non debet, neq; etiam
cū ipsi recesserint à uoto, quo Deo se obligarant, eis per-
mittatur, ut habeant beneficia, neq; administrationes.

Alius abusus in Questuarīs sancti Spiritus, sancti An-
tonij, alijsq; huius generis, qui decipiunt rusticos & sim-
plices, eosq; innumeris superstitionib; implicant: tol-
lendos hos Questuarios censemus.

Abusus alius in dispensatione cum constituto in sac-
ris Ordinibus, ut possit uxorem ducere: hęc dispen-
satio non esset ulli danda, nisi pro conseruatione populi
cuiuspiam, uel gentis, ubi esset publica causa grauissima,
presertim his temporibus, in quibus urgent Lutherani
hanc rem maxime.

Abusus in dispensatione in nuptijs inter consanguineos, seu affines, certe in secundo gradu non putamus
faciendam esse, nisi ob publicā causam grauem. In alijs
uero gradibus, nō nisi ob causam honestam, & absq; pe-
cunia, ut diximus, nisi iam prius coniuncti essent, ubi lis-
ceret pro absolutione à peccato iam perpetrato imponi
multa pecuniaria, post absolutionem, & deputari ad
gios.

pios usus, in quibus facit Sanctitas tua impensas. Nam sicut ubi non est peccatum in usu clauium, nihil exigi potest pecunie, ita ubi absolutio peritur à peccato, imponi multa pecuniaria potest, & deputari ad pios usus.

Abusus alius in absolutione Simoniaci, proh dolor, quantum in Ecclesia Dei regnat hoc pestilens uitium, adeo ut quidam non uerentur Simoniam committere: deinde confessim petunt absolutionem à poena, immo eam emunt, sicq; retinent beneficium quod emerunt. Non dicimus Sanctitatem tuam non posse poenam illam, quæ est de iure positivo constituta, eis condonare, sed quod nullo pacto debeat, ut tanto sceleri resistatur, quo nullum pernitosius, nec magis scandalosum.

Licentia etiam testandi Clericis de bonis Ecclesiæ non esset danda, nisi pro causa urgenti, ne bona pauperum conuerterentur in priuatas delicias & amplificationes domorum.

Confessionalia autem cum usu altaris portatilis non essent facile danda, sic enim uilescant Ecclesiasticæ res, & Sacramentum omnium præcipuum. Nec indulgentiae item dandæ essent, nisi semel in anno in unaquaq; insignium ciuitatum. Commutatio etiam uotorum neq; ita facile facienda, neq; commutanda, præterq; in æquivalens bonum.

Consueuere etiam mutari uoluntates ultimæ testatorum, qui ad pias causas legant quampliam pecuniæ sumam, quam auctoritate Sanctitatis tuæ transferunt ad hæredem vel legatarium, ob pretensam paupertatē &c. idq; ob lucrum certe, nisi facta sit magna mutatio in re familiaris hæredis per obitum testatoris, ita quod uerisimile sit, testatorem ob eam mutationem mutaturum fuisse

missis voluntatibus. Voluntates testatorum mutari, impium est: de lucro iam toties diximus, quare putamus omnino abstinendum.

Omnibus in summa explicatis quae pertinent ad universalis Ecclesiae Pontificem, quantum animo potuimus comprehendere, restat ut nonnulla dicamus quae pertinent ad Romanum Episcopum. Hæc Romana civitas & Ecclesia, mater est & magistra aliarum Ecclesiærum. Ideo maxime in ea uigore debet diuinus cultus & morū honestas: ideo Beatissime Pater scandalizantur omnes exteri, qui ingrediuntur templum Beatissimi Petri, ubi sacerdotes quidam sordidi, ignari, induiti paramentis & uestibus, quibus nec in sordidis ędibus honeste uti possent, Missas celebrant: hoc magnū est omnibus scandalum: ideo iniungendum est Reverendissimo Archipresbytero, vel Reverendissimo Pœnitentiario, ut hæc eurent, & amoueant hoc scandalum, sicq; in alijs Ecclesijs.

In hac etiam Urbe meretrices ut matronæ incedunt per Urbem, seu mula uehuncuntur, quas affectantur de media die nobiles familiares Card. Clericiq. Nulla in urbe uidimus hanc corruptionem, præterquam in hac omnium exemplati, habitant etiam insignes ædes: corrigerendus etiam hic turpis abusus.

Sunt etiam in hac Urbe priuatorum ciuium odia, & inimicitiae, quas componere, & ciues conciliare præcipue interest Episcopi, ideo per Cardinales quosdam Rom. præsertim qui magis essent idonei, omnes hec inimicitie cōponende essent, & ciuium animi conciliandi.

Sunt in hac Urbe hospitalia, sunt pupilli, sunt uiduae, harum cura maxime pertinet ad Episcopum & ad Principem.

C ipem.

et ipem, ideo Sanctitas tua per Cardinales uitios probos
posset etiam commode haec omnia curare.

Hæc sunt Beatissime Pater, quæ in præsentia pro te-
nuitate ingenij nostri colligenda esse duximus, & quæ
nobis corrigenda uiderentur. Tu uero pro tua bontates
& sapientia omnia moderabere: nos certe si non rei ma-
gnitudini, quæ nostras uires longe superat, conscientia
tamen nostræ satisfecimus, non sine magna spe, ut sub te
Principe uideamus Ecclesiam Dei purgatam, formosam,
ut columbam, sibi concordem, in unum corpus consen-
tientem, cum æterna tui nominis memoria. Sumpsiisti
tibi nomen Pauli, imitaberis speramus charitatem Pauli:
electus fuit ille ut uas, quod deserret nomen Christi
per gentes: te uero speramus electum, ut nomen iam Chri-
sti oblitum à gentibus & à nobis Clericis, restituas, in
cordibus & in operibus nostris ægitudines sanas, oues
Christi in unum ouile reducas, amoueasq; à nobis iram
Dei, & ultionem eam quam meremur, iam
paratam, iam cetericibus nostris
impinente.

Gaspar Card. Contarenus.

Ioh. Petrus Card. Theatinus.

Iacobus Card. Sadoletus.

Reginaldus Card. Anglicus.

Federicus Arch. Salernitanus.

Hieronymus Arch. Brundusinus.

Ioh. Matthæus Episcopus Veronensis.

Gregorius Abbas sancti Georgij Venet.

Frater Thomas magister sacri Palati.

Ioannes

IOANNES

STVRMIVS CARDINALIBVS

cæterisq; Prælatis delectis

S. P. D.



VAE PONTIFICIS IVSSV

Contarene de Religionis instau-
ratione statuistis , ea superiore
mense ad uos allata, uarias ho-
minū uoces excitarunt. Et quan-
quam ad uos pertinere non ar-
bitror, quid quisq; de uestris ra-
tionibus sentiat , nihil enim in
suo genere ita perfectum est, ut

omnibus placeat : tamen nisi uestrorum factorum ratio
hominibus eruditis atq; studiosis cōstet , nullo Conuen-
tu, id quod optatis, uos cosecutores puto, ut Ecclesiæ pri-
stinam dignitatem restituatis. Nam cum sita sint omnia
in optimorum consiliorum ratione , quam uos pro ue-
stra prudentia cum uultis , facile potestis prouidere , ta-
men nisi eodem uirorum doctorum comprobatio acce-
dat, nunquam uos homines eam viam quam requirūt,
ingressos esse cogitabunt. Quamobrem cum in illis lo-
cis uerter, ubi permulti sunt, qui de uestris consilijs sum-
ma cum prudentia iudicant: & cum mihi non obscu-
rae sint illorum sententiae , cogitaui breuiter eas ad uos
esse perscribendas, quo quid probent , quid repræhens-
dant, quid aliter instituendum sentiant, uideretis. Mul-
ti enim iam spem aliquam in uestra doctrina uestroq; iu-
dicio repositam habent, quos etiam hoc nouum atque

C 2 inaudis

inauditum Pontificis consilium, in cogitationes meliores aliqua ratione inducit, ut existimat posse aliquando æquioribus conditionibus inter uos & conuenire. Nam dum antehac clausæ essent ueritati Pontificum aures, eademq; paterent adulatoribus, nullus locus medicinæ concessus est: nunc uero cum extitit tandem Pontifex qui eiusmodi conquitar, inter quos aliqui tales sunt, qui adulari non consueuerunt, qui mentiri non possunt, & quos usus doctrinaq; plurima docuit: aut remedia tam pestiferis uestræ Ecclesiæ morbis inuentientur, aut ipsa iam multis labefactata malis, necesse est uniuersa collabatur. Qui ante uos religioni præfuerunt, nullum in ea uitium uoluerunt agnoscere, cuius Pontifices authores extitissent: is error à uobis tandem sublatus est, qui non solum magnam partem malorū indicatis, & occasum Ecclesiæ prædictis, uerum etiā in Pontificibus eam causam constituisse fatemini, qui adulatorum uoculas securi, dominos se legum esse putaront. Hæc oratio gravissima est nostris hominibus, propterea quod qua diligentia perspectæ nobis sunt calamitates, q; nibus affecta atq; afflita Ecclesia magnas tuinas tempestatesq; nisi refistatis, uidetur editura, eadem uos impendentibus maliis occursum. Sperant. Rara res est, & præter omnium opinionem oblata occasio, Pontificem datum orbi tam, qui iurevitando fidem suorum sibi ad patefacientiam ueritatē astrinxerit, ut si quid secus statuatis quam religio desideret, uobis ea culpa, non Pontifici præstantia videatur. Itaq; uos qui ad tem tam præclararam, tamq; necessariam delecti estis, etiam atq; etiam eniti atq; elaborare debetis, ut quod instituistis, perficiatis: & quoiam huius Pontificis assensionē mandatumq; tenetis, neq;

neq; intermiti, neq; interficiari teneam patiamini. Si hic in columnis manebit, si eadem voluntas erit, si uecum est quod scribitis, nihil uobis ad maximas cōmōditates deerit: si mutabit consilium, tamen uideris expeditam ad uituperationem uiam patefactam, si per uos talis tantaq; spes de Ecclesia Christi tollatur. Quod enim salutari orbi est, & cuius semel à Pontifice uobis efficiendi potestas est facta, id sine summo dedecore negligi à uobis nō potest. Quamobrem dum eius, cuius summa potestas hoc tempore est, voluntas sinit, dum idem uult, instantum uobis est atq; urgendum, ut uestra industria, fide, prudētia, uirtute, inclinata iam & prope colapsa religio rufus erigatur. Si uero properat affedā iam tecatem auferatur, tamen uobis eiuscemodi nunc funda menta facienda sunt, ut qui post creabūtur, sine summo scelere rem tantam negligere non possint, ut quam pri mūrūcibet optimorum uitiorum arbitratu, de uniuersa Ecclesiæ curatio ue deliberetur. Habebitis in his labo ribus adiutores multos, & principes viros, & populos, per quos iusta poterit fieri conuocatio, qui ad libertatem iudiciorum, non ad seruitutem adulandi, opem ferent, quod in primis nostris moribus est necessarium. Per h̄c enim omnis Conciliorum authoritas, dum illa Pontificum libidine, non religionis studio sunt habita, & ad illa non hi qui libere ad coetus uitia proferre uellet, sed quos sibi illi tum Pontifices devicissent, sunt conuocati. Quomodo his se Pontifex, quorum libertatem omnem ademit, quorum uoluntates & suffragationes p̄m̄js atque promissis comparauit, corrigendum dabit. Itaq; recte uobis uisum est, non debere liberum solutūq; legibus esse Pontificē, neq; licet ei quodlibet,

C 3. sed

Sed quod licet id demum ei libere debeat, in eoq[ue] mai-
gnam laudem apud noscos obtinuitis, quod vos pri-
mis inter eos existitis in nostro ordine, qui hoc ausilient
pronunciare, easdem leges Pontifici & comprobandas
& colendas esse, quibus Ecclesiam uelit obtemperate.

Etiam quod huic finitimum est prudenter stat-
tuistic, non esse dominatum qui committitur Pontifici,
sed curationem talis, qua Ecclesiarum munera suis or-
dinibus dispensat atq[ue] distribuat. Itaq[ue] Curapolem esse,
non Dominum tantarum rerum: & sepe sic Ecclesie eius
prudentie, fidei diligentie commiserunt, ut nulla sit ibi
ditio atq[ue] potestas soluta legibus, nulla dominatio, nul-
lum regnum; unde potestas comparetur, aut comitatu-
tandarum, aut uiolandarum legum. Si uos hoc admit-
titis, si hoc nobis conceditis, sibyllata inter nos est maxi-
ma pars controversie, atq[ue] illud largiemini, non defuisse
nibis iustissimas causas dissentendi. Primum enim si
fatemini dispensationem solam esse que mandat Pon-
tifici, nonne illud etiam sentitis, certos Magistratus oes
Ecclesiasticos nihil aliud esse, nisi ministros diuinarū
curationum: ut si bono sit Ecclesia eorum administra-
tio, si salutatis, si conscientiis legibus, retineantur: si in-
utilis, si pernicioſa, si contra leges, adseratur ab illis eiulce-
modi honor, quemadmodum multis in locis sacris le-
gibus iussum est.

Quamobrem recte etiā illud addidistis, sanctas esse
perpetuasq[ue] leges, neq[ue] ullius posse Pontificis aut priui-
legio, aut calumnia, aut indulgentia tolli. Si enim illud
permissum esset, quid usquam esset sanctum: quid tutū
ab omni libidine atq[ue] flagitio? Videmus enim dum sibi
hoc superioribus annis Pontifices arrogarunt, quanta
fenestra

fenestra fuerit aperta ad tyrannidem & ad periculum religionis. Nunc dum leges retinentur, manebit illud ut, illi constituantur, præficiantur a populo Dei, de quorum doctrina, & vita, innocentia, & fide diligentia, confluat. Ut enim fructus copiosi aliquando colligantur, idoneo populo tanquam subasto fundo est opus, qui cum demum recte excolitur, cum uetus adhibetur colonus, in quo sit & scientia, & studium, & mens pura, sine quibus neq; populus recte doceri, neq; Ecclesia florete, neq; authoritas ulla comparari potest.

Iam quam præclarum illud est, quod scribitis de Sis moniacis, quorum numerus tantus hodie est, ut si uesta sententia uim habeat, si, ut leges uolunt, illi amouentur, qui gratia, qui precio in qua seruit Ecclesiastica munera, sitis plurimas & maximas maculas, que turpissime iniusta religioni sunt, deleturi. Tum summae essent oportunitates perueniendi ad id, quod multis, ut idonei constiterentur ministri, qui legitime creati essent, in quibus esset sapientia, qui adessent apud populum suum præfentes, qui omnia susciperent illa, quæ D. Paulus, quæ S. Concilia, quæ maiores nostri sancierunt.

Hæc sunt quæ sanctissime a uobis deliberaata, animos bonis qui hic sunt uiris addiderunt ad sperandum. Ni mis enim nouum est, exortos esse in uestro ordine, qui libere iudicet. In Conuento Nurembergensi Adrianus Pontifex similia quædam agnouit: & cum eius summa uellent esse autoritatem, tamen permulti fuerant telis quorum ordinu, qui ob ealem confessionem indignaretur. Quid hoc aliquid est, q; impunitate flagitoru Pontificibus cōcedere, & auferre confessionem: & cū liceat quod uis scelus designare, tamen faceri sine sceleto non posse Pontificem

Pontificem. Quo titula magis appellandus estis Constanti-
ne, & tu Sadolere, & tu Federice Salernitane, uosque quae
ad rem tantam delecti estis, quo diligenter in hanc rem
incumbatis, atque sic statuatis, in manu uestra datam esse
hoc tempore Ecclesiarum uestrae & salutem & dignitatem
at si diligenter & cum fide ageris, uestra uirtute florena
rem Christi Remp. conspiciamus: si negligenter & cupi-
de, ut cuius rei adhuc reliquiae nonnullae supersunt, illae
continuo ita tollantur, simol ac calumniati ac male age-
re coeperitis, ut ne uestigia quidem ullius sanctitatis apud
vestras quidem partes posteris nostris appareant.

Sed quoniam quae placent, indicavi, iam quae requiri-
tant uidete. Atque in hoc loco quædam omittam, que tam-
et si ad disceptandum necessaria sunt, tamen quoniam
depravata consuetudine recepta sunt, dissimulabo, si ta-
men dissimulatur, quod in tacita perpetuaque cogitacio-
ne defixum manet. Nam quid argumenti aut rationis
habet, quod Pontificem universalem appellatis? D. Grego-
rius homo uechemens & acer in amplificeando Pons-
tificatu, hanc uocem ac Antichristi repudiauit, que ratio
ceteros quoque uiginti mouit, qui ante Gregorium fue-
runt, ut concessum id nomen, tributumque Synodo Cal-
tedonensi, tamen fecusarint. Sed resinqutamus dispensa-
tionem hanc iuuidiosam, & permittamus hanc uo-
bis appellationem, dumtaxat id quod decet, uelitis, &
uestra potentia uestraque studia ad gloriam Christi coho-
tiestandam conuertantur. Tyrannis nobis obstat quam
hoc nomine in Ecclesiam inducitis, uim secum & per-
secutionem hic titulus adserit, ideoque qui uirtute prædicti sumus,
qui mala prouidere possumus, tandem sublatam perfida-
tam huius tel occasionem uoluisse. Hæc causa Pelagium
atque

atq; Gregorianum moxit, ut quod reclamantibus viris bo
nis, captatis, id sibi ultro oblatum repudiarint.

Distin. 99. &

lib. Epist. 4.

Sed anguntur uehementer multorum animi, quod
in uestro consilio nulla nisquam mentio de doctrina reli
gionis fiat, cuius oportebat primam rationem haberi.

Epistolis 32.

Nam ut de illa loquatur, quis populus est, que ciuitas,
que uero coacta est aliqua multitudo per uestram ditio
nem, que recte infor metur. Nisquam apparet maior
a nobis Dei alienatio, quam in ignorantione Euangelij,
que tanta fuit, ut non solum populus ipse quid sacris lis
tentis contineretur, ignoraret, uerum haec quoq; inscitia
inter Episcopos in uestro Contarene ordine ita uersata
est, ut nostra tempora Pontifices uiderint ignaros litera
tum sacratum, & imperitos omnino religionis. Nam ut
de Innocentio Octauo & alijs multis nihil dicam, cedo
Sadolete, quoniam tu cum mififice laudas, que doctrin
a, quod studium sacrarum literarum in Clemente fuit,
tu ne illis qui norunt probare possis, mitto cognouisse,
sed cogitasse unquam, ut que illa scripta habent, quibus
nostra religio nititur, & que nobis dininitus data sunt,
vel legeret ipse, uel sibi explicari curaret. Credo ego neg
te, neq; quenq; ex his quibus coiunctus fuit, meminisse,
aliquid tempus fuisse, quo secū Clemens ad cognoscen
dum curaret circumferri diuinos libros. Dum imperitia
celamus, dum falsa testimonia damus, dum placere stu
demus, uidemur assentiri uitij, & pessima exempla exci
camus, & id efficiamus, ut qui id insequuntur, existimet in
se quoq; ferri posse, quod nostris medacijs in Clemente
atq; eius generis hominibus obscuramus. Nolo nomi
nare cateros uestri ordinis foedos & imperitos homi
nes, uerū debebāt uos illa clara atq; domestica exēpla eo

D hortari

hortari, ut rationem doctrinæ saltem aliquā haberetis.
Neḡ enim ignorare uos existimo, quām necessaria sit
eius cognitio. Nam si uoce uiua excitatur animus ad fis-
duciam Christi, & si mens ipsa confidens nitensq̄ Chri-
sto, ad pietatem & agendum inflammatur, ibi necesse
est, omne genus uitiorum uersari, ubi nulla vox diuinis
sententijs informata percipitur, ibi necesse est ignoretur
Christus, ubi eius beneficia factaq̄ tacita iacent, id quod
sit, ubi cuncte se lestra ditio atq̄ potestas explicavit.
Quid tam uanum est, quām Erasmi Colloquia & scola-
sticas disputationes tollere, & illam foedā, impiam atq̄
inueteratam consuetudinē relinquere, & pro sacris nu-
gas docere? Sed non eō hæc dico, quod probem no-
strum disputandi morem, aut quod putem absq; Dialogo-
gis Erasmi non posse consistere studia. Hābent nostros
rum temporum scholæ per multa quæ corrigi debent, &
eloquentiæ & sapientiæ & Theologiae doctrina sine
eiusmodi dicendi genere teneri potest, sed id mihi do-
let, res maximas, atq; omnino necessarias à uobis præ-
teriti, dum in paruis & humilibus occupati estis. Quia
quam id ueremur non propter ea quæ moribus obsunt
à uobis de scholis deiici colloquia, sed quod aliqua quæ
apud uos iure reprehendi possunt, notent, idcirco uos
mortui Erasmi scripta ferre non posse, quæ quamdiu in
uita esset, comprobastis, aut quod nunc facitis, non co-
nati estis reprehendere. Sed ut omittamus hæc, illud
certe tenendum est, cum in tenuibus illis rebus cogita-
tionem ponitis, etiam considerare debetis, per Galliam
& Italiam negligi Euangeliū, doceri fabulas, & reli-
gionis ignorationem, summam excusationem habere.
Quis enim non uidet, quām sint omnia ex ueris in falsa
communis

cōmīutata: Nam quid potest ibi sincerū dici, ubi p̄o
religione supersticio, pro diuina sapientia hominū phis
iosophia, pro Christo Socrates, pro sacris Scriptoribus
Aristoteles atq; Plato in Ecclesiā irruperunt. Neq; hęc
ita intelligi uelim, quasi reprehendam Philosophię stu
dium, habet enim ista doctrina multas commoditates:
sed sic se res habet, ut nisi diuinitatis cognitio pr̄emona
stratrix sit, mens ipsa hominis errans & uaga ad loca spi
nosa deuiaq; deducatur. Cum enim animus sibi nō con
stat, cum ignoratio offusa est, quæ uam pars Ecclesię offi
cium suum poterit p̄estare?

Hęc uos animaduertere oportebat, atq; cogitare, ani
mis recte informatis facilem fore restitutioinem eorum
terum, quas nobis ingeniorum foeditas & inscītia diui
natū rerum ademit. Neq; enim uideo quomodo hęc
uestra ratio defendi possit, nisi illud cogitetis, quod ali
qui sperant, constitutis legitime ueris ministris, restituī
quog; doctrinam, cuius mentionem sine magnis offen
sionibus in uestro consilio facere non potuistis. Sed si
hoc est, ut uos qui iurati estis, qui principatum tenetis,
non possitis sine metu de re maximopere necessaria libe
te sentire, propter alienationem eorum, quibus summa
terum cōmissa est, quæ spes esse poterit in hoc domina
tu & regnoueteris atq; Ecclesiasticæ disciplinæ: Ex his
necessē est unum aliquod esse: uel uobis odiosa est ueri
tas, ideoq; dissimulastis: uel metu nō protulistis, eamq;
per ministros obducitis: uel nihil de illa cogitastis. Si nī
hil huiusmodi cogitasse dicetis, nō credemus: si odiſſe,
condemnabitis uosipſos: si timore dissimulasse, dolebi
mus, nunquam per potentiam & tyrannide m̄ licere ue
titati in solem & lucem prodire. Certe aut uobisipſis ue
ritas

ritas odiosa est, aut illis formidolosa, quos uos propterea
accepta beneficia & inueteratam potentiam ueremini,
Non enim potest ignorari, nouit uniuersus orbis subla-
tum esse ex Ecclesijs uestris Euangeliū. Hoc sibi testis
tui homines uolunt, & hoc tandem uobis reclamantia-
bus obtinebunt. Nullam amplius hic uim habent uestra-
minæ, custodię, pœnæ, flammæ, patefacta sunt mala, pro-
cul ostensa bona, à quibus si omnes gentes abarcere co-
nemini, non cum hominibus, sed cum Deo, cum Christi
fido, cuius nomine tantas opes & facultates possidetis,
bellum uobis est suscipiendum. Nostri nullum maius
argumentum uestri occasus habent, quām tam uanas
spes opprimente ueritatis, qui per uim potius q̄ com-
munibus consilijs & legitima disceptatione, & per Re-
gum opem atq; iniuriam magis quām uereti disciplina
autoritatem putatis retineti. Nisi proterue & scelerose
agendo, nō concitabitis in uos tanta hominum studia,
quæ ad uestram potentiam opprimēdam, satis magnas
sunt uires habitura. Utinam hæc falso augeremus, & ali-
quando concordia fieret consiliorum, & ad pacem potius
& tranquillam emendationem, quām ad uim atq;
arma spectaretur.

Obsecro te Contarene, te Theatine, te Sadolete, te
Fœderice, per uestram doctrinam, prudentiam, induc-
striali, uirtutem, uos obtestor, respicite eas calamitates
omnes, quibus afflita est Christi Respublica, & ad hanc
rem æquitatem, quæ in rebus exacerbatis necessaria est,
adhibete. Tu Sadolete in Dialogis tuis multa de nobis
falso dicis: & nisi te ignoratione magis & uana persuas-
ione q̄ iudicio fecisse cogitaremus, non video quomo-
do uiris bonis factum tuū excusare possis. Non agnoscim-
us

mus quæ nobis obijcis, tefles sunt omnes qui reficiendis
capi, remora esse à tuis criminibus nostra studia, si hanc
opinionem ad istud iudicium adfers, & nostra prius p̄
legeris, condemnas, non possumus tibi eas quas cupis-
mus virtutes, æquitatem, doctrinam. fidem, pietatē tri-
buere. Rapit me rei indignitas, & perturbat, ut acerbius
q̄ proposui scribam. Sed amica hæc de Christi Repub.
commonitio est, non hostilis de iure aliquo priuatae rei
concertatio. Non de opibus pugnamus, quas nunquā
uobis inuidimus, non contendimus, ut uos non sitis,
non certamus, ut uestra potēta nulla sit: cupimus in Ec-
clesia manere autoritatē, & id elaboramus, ut si omnia
amittamus, tamen retineamus in populo Dei Euangeliū
doctrinam, ut qui hæredes cum Christo sunt, uoluntatē
patri cognoscant, ut quod qui uis pater liberos uelit re-
nere, quæ scilicet extrema sua fuerit sententia, idem Deo
patri nostro et Christo domino nostro permittamus, ut
quæ diuina uoce notata sunt, nobisq̄ relicta, & quibus
quasi hæreditarie possessionis testamentum cōtinetur,
omnes quibus illa possessio promissa est, doceantur.
Itaq̄ doctrinæ curam in uobis uiri boni requirunt, qui
per quam ipsi facti sunt meliores, eam etiam ceteris per-
necessariam esse potant. Deinde ut si opes, si potentiam
retinere uultis, eas ita retineatis, ut ad amplificationem
religionis, & ad gloriam Christi conuertatis.

Iam de Sacramentis & de ceremonijs quid dicendū
existimatis: an non horum usus maximopere conspu-
catus est: at illi defœdationi remedium nullum inue-
niendum putastis, & sileatis, quasi sana sit hæc pars reli-
gionis. Nam ut de Eucharistia loquamur, nonne simul
cum nomine usum pervertistis. Cum enim ad erigēdos

D 3 in spem

in spem atq; fidem animos instituta sic corporis Christi
communio, & non nisi participanti proslit, uos inde so-
litarium priuatumq; opus effecisti, aut certe permisisti
eantum sacerdotum avariciae, ut ex gratuita communia-
catione mercenariū opus, & quasi uenale intercessio-
nem erigerent, eo cuius nos pudeat, uentum sit, ut ma-
gis illa insana actione quam Christi morte niti, pleriq;
omnes uideantur. Illud etiam conceditur, ut etiam si ui-
tae genus non corrigatur, si à sceleribus non abstineant,
tamē credatur per illos sanctificatos mercenarios uenia-
posse impetrari. Et quo maior esset conscelerati illius in-
stituti authoritas, etiam solam auscultationem putant
magnum pondus habere, ad placandum in designan-
dis flagitijs, quę iam animo suscepserunt, iram pœnamq;
Dei. Et nos hunc abusum silentio atq; re ipsa comproba-
mus, qui contra Christi institutionem, contra Apostolo-
rum & maiorum nostrorum consuetudinem, contra le-
gum uerba voluntatemq; in Ecclesiam irrepsit. Atq; ut se-
ro id homines animaduerteret, introductus nobis à Dei
hoste in Italorum, Gallorum, Germanorum, Hispano-
rum coetus, sermo latinus est, qui sæpen numero non solū
à circumstanti turba, sed ne ab ipsis quidem sacerdoti-
bus, hominibus operarijs ac barbaris intelligitur. Soli
ipsi edunt, quod multis cōmunicandum erat: mors Do-
mini nostri, & uere Domini nō denunciatur: pauorem
tantum & consternationem animarum adferunt, non ut
elaboratur, ut fides promissis diuinis habeatur, non ut
spes recordatione Christi augeatur, ut charitas excite-
tur, sed ut ueluti præstigijs quibusdam à uero iudicio rus-
dis populus depellatur.

Ac quemadmodum tam solemnis rei usus deforma-
tus est,

tus est, ita etiam cæterarum ceremoniarum ratio est per
uersa, ut imaginam, quæ cum ad recordandum constitutæ
essent, nos in cultum commutauimus, ut quas prin-
cipio homines tantum intuebantur, nunc ante easdem
in genua delabantur, orent, obtestentur. Offa concinna-
uimus, sepulchra ereximus, ligna inuenimus, ante quæ
animi colendo polluerentur. Non tam prope uani fue-
runt Aegyptij in sua religione, quâm nos quibus certa ra-
tio est præscripta. Quia cum temporibus uoluntatem
Dei commutari opinamur, putamus nos signa sculpta,
fusa pictaq; posse erigere, & D. Christophorum sanctio-
rem q; fuerit Abraham aut Iosue nobis ipsi finximus, &
ita constituimus, quod Iudæis non licet, ut Moyse tan-
quam Deum colant, id nobis licere, ut ante statuam Da-
miani incuruis corporibus in genua cōsidamus. Parum
honoris opinamur eis habeti, si ad illorum recordatio-
nem gemitus & lachrymas præbeamus, neq; satis fit cu-
pidatibus nostris, nisi deuotiones & pecuniarum do-
nationes, & hæreditatum assignationes, ad eam imma-
nitatem adiungantur.

Quid de indulgentijs uestris c; inauditum ea in re uocabulum est, res etiam ipsa ficta & uana est. Quid de illa
ratione, quam pœnitentibus præscribitis c; nonne falsa c-
tonne peruersa: nonne ad quæstum magis & ad tyran-
nidem, quâm ad uitæ emendationem & correctionem
spectans: Et qui remedia contra hos morbos querunt,
eos uos ex Ecclesia ejiciendos putatis, & condemuatis
hæreseos: qui restituere pristinam puritatē religioni co-
nantur, eos illam tollere: qui ceremonias purgare, eos
profligare: qui autoritateim Ecclesiasticam recuperare
atq; confirmare, eos imminuere et labefactare clamatis.

Vtinam

Vtinam sub oculos cadere possint & nostra studia & nos-
trae cogitationes: neq; enim in quoq; affensionem carcerá-
rum nationum obtinebimus, anteq; eo indignitas ue-
stitorum factorum deducatur, ut iam non amplius intel-
ligi, sed oculis quasi cerni videatur. Quid enim aliud agi-
tis, q; ut specie correctionis assequamini, quod optatis,
ut apud gentes aliquor fractam uestram immanem au-
toritatem per vim recuperetis, & eos tollatis, quoru*m* in-
dustria, & fides, & constantia, & pietas uestris studijs
obstat, qui facile circumueniri possent, si eiusmodi
Concilium, quale fuit **Constantiense**, conuocari possit.
Non mirantur homines, esse quedam in uestra delibe-
ratione, quæ simplicitatem atq; religionem indicant,
obscurada enim flagitia sunt uitutis imagine, sed illud
dolent, ceremonias dios inanés requirere, & docendira
tionem contaminatam oppressamq; relinquere. Quid
hoc est, si non est ornamenta quedam in uitato solo com-
parare, quasdam etiam excrescentes ramulos tollere, ra-
dicesq; relinquere, plantationem meliorem, & irrigatio-
nem, & culturam fundi negligere. Quantulum enim il-
lud est, aut quo pertinet, quod de religiosis uestitu
conficiuntis: Quod apud maiores nostros in summa ui-
tu pertinere fuit, habitu religionem profiteri, id uos ue-
stra prudentia audetis reuocare. Qui autores fuerunt ta-
lis uitæ, quomodo uos, aut cui hominum generi proba-
te potestis, eos colore figuraq; uestimentorum religiones
distinxisse: An non diserte illæ fixæ monachotum quæ
Augustino, Francisco, Benedicto tribuuntur, regulę ueracē
notabiles esse uestium formas in religione solitaria, quā
in uita & moribus, nō in indumentis ponunt: Perinde
uestrae ceremoniæ Deo gratæ sunt, atq; Christo fuerunt
Iudicorum

Dist. 4.

Iudæorum ieiunia. O crudelitatem deuotionū, in quib⁹
bus cum se semel aut falsa superstitione, aut imprudētia
homines devinxerūt, nulla deinceps spes est euadendi
ex eo ergastulo, in quod quoniam inconsiderate illa-
psus est aliquis, libertatem omnem amisit, neq; eo redi-
re potest, ad quod natus, à Deoq; uocatus uidetur, &
quo maiores ubetioresq; commoditates in Rempublia
cam Chryſtianam potest importare. Quod enim uestis-
gium ueterum monachorum, de quibus Auguſtinus
atq; Chriſtōtōm ſcribunt, poſt uestras coactas & cum
uita perpetuatas deuotiones eſt relictū: Quos Deus,
in conciones & ad docendum populum uocat, eos uos
inter ociosorum hominum ſepta includitis: qui in Se-
natū patriæ recte cōſulere poſſunt, & ad id nati factiq;
uidentur, illis uos Rempublicam ſpoliatis. Quibus in-
genij acumen, amore, induſtriam, ad doctrinam con-
ſequendam natura conuertit, eos uos cum illis coniungitis,
apud quos literarum ſtudia neque coluntur, neq;
amantur, neq; doctores ullos habent. At maiores no-
ſti ita instituerunt hanc uitam, ut ciuitatibus utilis eſſet,
ut inde ad Repub. accederent, quo eas recte & sancte cu-
rate poſſent: ſanctimoniam enim uitæ eſſe uoluerunt,
non perpetuitatem ſoliditudinis. Vtina m nobis per uos
redderetur uetus coenobiorum, quām florentes Repub;
uideremus: quanta copia ingeniorum exiſteret: quām
facile hanc caritatē bonorum atque doctorum uitare
poſſemus: Nihil uobiſ ad ſummam tranquillitatē atq;
ſcēlicitatē deeft, p̄ter uoluntatem honestissimorum
consiliorum. Sed cum duæ res ſint, quæ in omni nego-
cio uitæ magnam habent, hæ contra uos ambæ in hac
diſcrepatione faciunt, perſpecta ueritas, & laudata uita.

E Non

In omni negocio uim magnam habent.
perſpecta ueritas, et laudata uita.

Non enim ea vivendi ratio quam nos instituistis, subla-
to tantū sacerdotum matrimonio, in hac scēditate libi-
dinum commendari potest. Etenim ineptum est, & ra-
tione caret, quod de eo constituitis. Primum enim ut
placita postremorum Pontificum conseruetis, Aposto-
lorum instituta, & Niceni conuentus uoluntatem ausi
estis uiolare. Deinde rametsi post Niceni concilij tem-
pora novis legibus ablatae sint ab Ecclesiastico ordine
uxores, tamen retinuerunt ius suum antiquum aliquæ
gentes, & quod natura requirit, & quod coluerunt ma-
Gregorius
Vx. conjug.
Sacerdos
Superfluit
iores nostri, id à se ut eriperetur, pati noluerūt. Tandem
Gregorius septimus exortus est, quiper uim, maximis
concitatiss offensionibus, coniugium fastulit. Melius igi-
tur & sanctius Pius secundus matrimonium olim gra-
ues ob causas ablatum sacerdotibus dixit, hoc uero tem-
pore graviores esse eiusdem restituendi. Huius seneca-
tiā sequi uos oportebat, & rectius consulere Pontifici.
Videris enim quantū malorum inde habeamus, & qua-
les maculas Ecclesiæ sacerdotum impudicæ effœmina-
tæq; uoluptates inuaserint, quarum obliuisci homines
non possunt, tolli tamen hæsi per uos licet, approban-
tibus bonis, restitutaq; pristina consuetudine, possunt.

Hęc sunt, quæ in uestra cōsultatione nostros, quibus
religio maximæ curę est, in contrarias cogitationes tra-
hunt. Nam quod Pontificem non dominū, sed dispen-
satorem, curatoremq; statuitis, quod legum canonas fi-
xos perpetuosq; esse uultis, quod Simoniam tollitis, q
ministros idoneos requiritis, uehementer approbant,
optantq; uos id uere cogitare. Metuunt enim qui omnia
diligentius intuentur, quoniam doctrinæ rationem nul-
lam habetis, quoniam usum sacramentorū peruersum
esse

esse sinitis, quoniam in rebus partim leuibus, partim sal
sis occupati estis, & solicieti estis, de uestimentorum gene
re, de sacerdotum connubijs, non uos cogitate, qua ra
tione recte Ecclesia corrigit atq; emendari possit, sed qua
via eos possitis tollere, qui uestram potentiam infringe
te conantur.

Deinde cum singula hæc seorsum posita, aut uana,
aut falsa, aut impia uidentur, tum etiam coiuncta simul
eiuscemodi rationē cōstituunt, quę nostris temporibus
obtineri non potest. Neq; in re, neq; in hominum natu
ra positum est, quod instituitis. Frustra suscipitis illis iu
dicibus Ecclesiæ correctionem. Nam cum uultis auto
ritatem esse illorum principum uitorum quos iam fecerit
Ecclesia, & qui si leges antique florent minus possent,
quam possunt in hoc tempore, quid sperandū est posse
recte decerni? Sunt enim aliqui partim successione ma
ximarum rerum, partim Regum Principumq; uitorum
beneficijs, ita opibus atque facultatibus amplificati, ita
moribus & uita corrupti, ut uestram correctionem susti
nere non possint, tollere, quoniam eorum uultis esse &
iudicium & autoritatem, possint. Non mutabunt hi in
stitutam receptamq; in consuetudinem uiuendi ratio
nem: non sinit auaricia, non patitur ambitio, non per
mittunt cæterę cupiditates, quas nisi cū uita aut per uiu
nemo omnium est qui uel auferet, uel coercebit.

Itaq; nisi ueros iudices conceditis, qui ad ipsum con
silium ueritatem libertatemq; non uim adferre cupiūt,
non restituatis nobis Ecclesiæ commoditates. Ut Syna
gogæ emendationem Christus nō sacerdotibus & Pha
risæis, sed Apostolis & suis ministris commisit: & ut ma
iores nostri religionem non Græcorum aut Romanorū

sacerdotum Collegijs mandarunt, uerum his qui uis
uina imbuti atq; confirmati erant: sic uos illis qui Eccl
esiastica dignitate ad honestatem ac salutem uti, non qui
ad dedecus & perniciem abuti uolunt, Rempub. Chris
tii, ut uestro facitis consilio, cōmittere debetis. Eos enim
qui eadem quæ illi monuerunt, & uitia norarunt, ejci
tis de uestra Ecclesia: quorum uero uitam corrigendam
putatis, eos arbitros iudicesq; constituitis. Nonne hoc
est annoios & uitiosos ramos relinquere, & mellotem
stirpem in meliore solo subnascentem, non sinere pro
pagari? Sed non hęc ita dicta uelim, quasi nihil sit apud
uos ueri, aut quod nulli sint à uobis, quibus chara sit reli
gio, sed quod illorum uultis esse autoritatem, quibus si
legum canones florerent, si Simonia sublata esset, si tan
tum certi & ueri administrī constituerentur, genus uitæ
cum moribus esset commutandum. Deceſſit è uita ho
mo uestri loci, sed auatus, & crudelis, & indoctus, Leo
dienſium Episcopus: habetis talia monstra multa (no
lo enim nominare qui uiuunt, de Leodiensi, quia id no
rum est, dico) si illis potestatem facietis statuendi quod
sentient, aut non admittent quod ponitis, aut decernēt
cōtraria. Itaq; fruſtra ſucepta uobis hęc cōſultatio eſt,
& ſe homines in uanam ſpem erigi meruunt, niſi hoc in
dicum genus reſūciatur, & illi ſumantur, quibus publica
ſalus charior eſt, q̄ commoditates domesticæ.

*altera
dnatam
pontifex*

Sed iam eo ueniamus, ubi de Episcopo Romano pre
cipit: Tria enim uultis esse in Pontifice: ut sit Pontifex
uniuersalis: ut Episcopus Romanus: ut Princeps & cē
tarum Rerum pub. dominus. Atq; ex his tribus Episco
patum Romanum ultro concedimus: nam id eius pri
mum munus apud maiores fuit, & ſolum fuit, cum uere
doctrina

doctrina Christi floreret, cætera sunt aduenticia, & contra consuetudinem Apostolorum, arrogata. Sed cū multa corrienda sint in uestro coetu, quarum quælo rerum commonetis Pontificem: nihil de doctrinæ defœdatione scribitis, nihil de ambitione, nihil de corruptis uitiatissimis moribus, nihil de illis quorum cōmemoratio turpissima, & cogitatio tristissima, maximas offendentes parit. Præter illam meretriciam uitam, de sacerdotum indumentis solum conquesti estis, quibus in sacris curationibus utiuntur, de illius Sacrameti deprauata consuetudine nihil cōmonuistis. Si id Romæ permittitis, quid apud eas gentes sit, qui nomē uestrum solum uerentur: uoce uestra propter locorum interualla & uestram negligentiam informari non possunt. Quid de alijs rebus cogitandum est, si in maxima & necessaria sitis negligentes? Quod enim constitutum, non cogitatum ab hominibus, sed diuinitus acceptum, nō temporarium, sed inde ab initio sacrosanctum, non emptum, non hominū officio comparatum, non temeritate ad res alias deducendum, uerum datum, tributum, ad certum finem prescriptum est, id nos nostris artibus cōmutauimus, & infallacem fucosamq; mercé cōvertimus, & eos qui in partem uenire uolunt, nundinari cogimus, atq; ita nundinari, ut credant illud ad eluendas animorum maculas, & ad conscientiæ angorem & sollicitudinē tollendam esse satis. Sed accidit in hac re quod cæteris omnibus, quæ sunt optima, ut citissime cōtaminentur. Nam quoniam illa sub oculos ipsa non cadunt, & cogitatione solum compræhenduntur, facillime hæc falsa persuasione, quam multitudo, & ætas, & consuetudo adfert, impeditur. Si ut ignis corporis partibus cum dolore percipitur,

E 3 pitur,

piter, ita etiā res diuinæ, & diuina uoluntas animo sensiti possit, causa esset, quamobrem ageremus ociose. Ne mo enim nisi in cruciatu clamaret, sed quoniā mentis acumine, industria, diligentiaq; opus est, turpissime sit à nobis, quod quasi nulla pars corporis Christi ægrotet, quoniā dolor non animaduertitur, negligentes sumus, & indicatis à uiris bonis atq; peritis morbis, medicinā neq; querimus neq; admittimus. In uestro consilio ulcea quædā ostenditis, & membrorū, siue quibus uita manere non potest, uitia nō notatis: neq; animaduertitis sanguinem Ecclesiæ, & Christi corporis corruptū esse, iecur contaminatum esse, cor atq; cerebrū languescere, pulmones esse uiciosos. Ut enim hoc humanū receptaculum sine sanguine, & iecore, & corde, & pulmone consistere non potest, ita etiā religio unā cum recto usu, cum doctrina, cum ueris cōsilijs, cum idoneis ministris amittitur. Hæc enim quatuor sunt quæ in uobis requiri mus, si ceremoniarum usum tales, qui Christi institutis non sit contrarius, restituuetis: si cognitionem Euangelij liberam permittetis: si legitimos conuentus concedetis: si aptos curatores dabitis, coniungemus Ecclesias nostras, deponemus offendiones, & obliuiscemur que telarum.

Falso enim illud cogitatis, tolli à nobis ceremonias: sed cum uidemus plerasq; cum impietate consociatas esse, necessarias retinuimus, impias abrogauimus, de ceterarū correctione & confirmatione deliberamus. Credo enim & certo scio maiorem apud nos & Eucharistia & Baptismo reuerentiam adhiberi, quām in illis locis ubi uestra adhuc cōsuetudo ualeat. Festi etiam dies eiuscmodi habent iustituta ocia, ut cum uestris laudabiliter

quatuor
regnirat
a sapientia

biliter comparari possint. Et quoniam hæc omnia non solum apud exteris nationes, uerum etiā Romæ, & in ipso Pontificis atra cōspurcata sunt, uestri officij est, hæc emendanda proponere.

Sed hæc de Episcopo Romano, cur de principiis per *contra /*
sona quam nominatis, nihil decernitis? Vnde illud ius / principiis /
habet occupandi Respub. qua lege Roma, Rauenna, *Romana*
Bononia, cæteræq; ciuitates Pontificibus obuenerunt,
qua ratione saltem probabili Imperij ditio imminuta
est. Viduis & pupillis præesse, & conseruare horum fa-
cultates sanctissimum officiū est, at canones uerant cle-
ricos tutoris aut procuratoris munus suscipere, & in re
cæteroquin necessaria distingi. Quod in priuatis re-
bus non sinunt leges, id uos in publicis usurpatis, à qui-
bus uos illæ ipsæ leges claris uerbis abarcet, nec conce-
dunt eundem & Ecclesiam curare, & ad Rem pub. acce-
dere. Si leges non præscriberent, tamen quoniam in re
atq; natura positum non est, ut unus multis negotijs, &
disiunctissimis locis præesse possit, debebatis pro uestra
prudentia cōsulere Pontifici, ut quo difficilior esset trans-
feratum ciuitatum administratio, eo maiorem curam ad-
hiberet in illis populis instauradæ religionis. Nondum
enim ex multorū animis memoria discessit, quæ bella,
quales cædes, cuiusmodi uastationes inde natæ sint, q; Pontifices Regna, ciuitatesq; occuparent. Illæ maculæ
pia administratione, & uera religione delendæ essent,
si integrum uelletis esse Pontificis autoritatem. Non sa-
tis est, habere uos Reges, qui pro uestra potentia propu-
gnent, qui ut regnantis efficient, & eam uobis vim retine-
re possint, nisi illa quæ profitemini curetis, nisi religio-
nem ciuitatibus à uobis profligatam restituatis, nisi uita
talis

calis sit, qualem Christus, maioresq; nostri requirunt, nō si viris bonis consilia uestra probetis, nisi alijs sacrificationibus, quām illis quas uos habetis, Deum placetis, futurum breui est, ut etiam eorum consensu, qui iam à uobis stant, deīciamini. Non ita iniūsum Lutheri nomen facere potestis, ut illa calumnia in lucem producta ueritas obscuretur. Cum animaduertent homines, non pro illis facere ueritatem, quibus sacramentis literarum cognitione obstat, ad eos aliquando confugient, qui absq; his, propter inueteratam pessimamq; consuetudinem nunc state uix possunt.

Exposui breviter, quid in uestra deliberatione probent, & quid reprehendant hi, qui iudicare de religione possunt: nunc quæ desiderent ad recte deliberandū, exponam. Primum, ut ad perfectionem operis, & ad absolutam emendationem atq; correctionem firma fundamenta ponantur, ueratq; habeantur radices, quæ in doctrina & recta cognitione diuinarum literarū reconciliantur. De hac commone faciendus & docendus Ponatifex erat: est enim omnino deprauata. Vbicunque enim nulli sunt Euangelij doctores, ibi mens ipsa erigi, & fidem diuinis promissis habere non potest. At sine hac, salus tollitur universa. Quoniam igitur plus apud uos possunt diuorum cœlestium merita, quām uox Christi, sacerdotum fallaces cæremoniae, quām supplicationes ueræ, Pontificum indulgentia & absolutio, quām Dei promissio, temporarius & status corporis cruciatus, quā perpetua uitæ correctio, constabit neque religionem rectam doceri in uestris Ecclesijs, neq; cogitationū, Christicq; fiduciam stabilem esse, neq; salutem posse compatri, Doctrina per aures, ad animū delabitur, idem per
cerimos

Doctrina per aures ad animum delabitur.

ceremonias tanquam per conspicua uerba, quemadmo^{dum} sentit Augustinus, duci ad rectā uiam potest. Vtq^z enim h^ac in Ecclesijs necessaria sunt, sed cum contami nata docendi ratio est, cum depravatae ceremoniae, qua si labefactatis fundamentis, nulla poterit ibi esse substru ctio, nulla perfecta co*edificatio*. Sunt enim ut doctrina, sic ceremonie quædam necessarie, quædā utiles : sed si ui tientur, si nō recte adhibeantur, magnas incōmoditates adserūt, sepe etiā religiōis integritatē ad perniciē uocare.

Video quām sit difficile istud à uestris ho- (solent minibus impetrati: nam cū semel peruersa mens est, & uitę genus cum professione pietatis puguat, non potest quod diu gratior est uitæ ratio, per illos amissā pietas resti tui. Sed quod ab his concedi nō potest, id Deus requirit, id religio desiderat: & extorquendū est ab inuitis, quod ultero debebat permettere. Non enim post hac dissimula ri potest, multo iam maxima pars hominum intelligit, frustra Christum diuinitus missum, & nostræ carni in clusum, uitam mortalem amisisse, & ad immortalem transfigisse, si sacrificeationibus, & actionibus ordinatis, & distributis ceremonijs, & nostris uiribus partē cœlestis domiciliij consequi possemus. Adimantus apud Plato nem nouit, sola iusticia Deum placari posse, hanc uero neminem omnium recte colere posse, nisi qui nouit De um esse, & nostrarū rerum curam gerere, & uerū nostrarū rerum iudicem esse, neque sacrificia respicere, sed animorum integratatem considerare. Itaque rei sciendum il lud esse ἀδικητέον, Καὶ θυτέον ἐκ τῆς ἀδικηματων. Quod homines ignari diuinarum legum, naturæ bonitate ad iuti notarunt atque uere intellexerunt: id nos nō animad uerimus, animo male informato, neque amorem, neque

F reueren-

reuerentiam erga Deum esse posse: quæ duo cum nō ad sunt, non sacrificeⁿes, non ullæ ceremoniæ uim alia quam ad salutem adferunt. Vbi uero diuinitatis cognitio est, ibi mentis ardor, uerusq; cultus excitatur, & animus ipse dominus atq; condocefactus, nihil concupiscit quod Dei placitis sit contrarium: uerum ad eius uoluntatem omnes actiones atq; consilia commutat. Neque enim usquam illa Stoicorum àπάθεα sedem habere potest, nisi in homine Christiano, cuius mens & uoluntas diuinitus docta, Deoq; deuota, nihil instituit, quod masculam aliquam possit aspergere. Sed hoc Stoici considerarunt esse debere, consequi uero, quia Deum nō nuerent, nō potuerunt. Nam cum natura nihil in nobis sit quod non sit contaminatum, nascimur enim ad omne genus cupiditatum inclinati, nisi Christus nobis ostendatur, nisi ille indicetur, per quem salutem à Deo acceperimus, necesse est nostras cogitationes scupulosas esse, nostraq; studia ad nostras utilitates, non ad Dei sensum & gloriam conferri. Hic igitur docendus est, à quo nobis pax atq; uenia datur, qui solus humanum genus à peccatorum scelerumq; pœna liberare potuit, & liberauit.

Itaq; de hac re in primis commonefaciendus erat Pontifex: deinde quoniam tanta caritas est eorum qui vere docent, conquirendi diligenter sunt, qui tales tantamq; professionē suscipere possint. Sed qui id hoc tempore faciunt, & fecerunt annis superioribus, eos nō comparatis, sed refugitis: nō tuemini, sed vinculis coercitis: non in ciuitatibus retinetis, sed ejicitis: non à periculis etripititis, sed uita & hac luce spoliatis sine causa, summa cum iniusticia & crudelitate. Quid enim aliud in Ecclesiis nostris docetur, quam omnia scripta & uniuersas ceremonias

temonias eo' conuertendas esse, ut homines instituant
ad cognoscendum, depravatam omnium nostrum na-
turam & uiciosam esse: liberatos nos nece Christi, et per
eum ueniam atq; salutem comparasse. Calumnia est
enim quod obijcitur, dehortari nos nostra doctrina à
bene sancteç agendo, & ἀτραφίαν quandam uastatio-
nemq; ceremoniarū excitare. Sed dum illa abrogamus,
quaç cum impietate coniuncta sunt, dum ueras ceremo-
nias reuocamus, dum ueterem illam docendi rationem
reportamus: cruces interea nobis, & flammæ, cæteraq;
crudelissima supplicia proponuntur. Non tam imma-
nes olim Græci fuerunt, in mactandis ante sacraria Deo-
rum suorum uiuis hominibus, quam uos uestris crucia-
mentis estis.

Hæc immanitas suppliciorum facit, ut uideamus nō
posse fieri, ut de nostris uere iudicetis. Et quanquā post
tot tantaq; scripta deberent esse explorata uobis no-
stra erga religionem studia, tamen etiamsi falsam de
nobis opinionem habeatis, de Synodo cogitare opor-
tebat, sed tali, ad quam q̄riti p̄ij conuocentur, de quorū
uita & moribus & doctrina p̄eclarare testimonia extent:
& cum suspicio omnis crudelitatis & violentiæ poten-
tiæ abesse debeat, decebat eiuscmodi locum diligere,
ad quē omnes ad liberesentiendum conuenire possint:
illos uero inde abarcere, quos ob uitam flagitosam, &
ignorationem sacrorum scriptorum & Simoniam ipsæ
leges ad religiosas curationes non admittunt. Nam si
in quotidianis negocijs ferri nō debent, nullus eis in so-
lenni conuentu locus potest relinqui, nostris p̄æsertim
temporibus, quibus nihil tranquillum, nihil integrum
est in Ecclesia. Per Germaniam in maximo numero

Episcoporum nullis est, qui, si Canonum auctoritas restituata esset, locū suum tueatur. In Gallia quoq; paucisunt, sed tamen illa scelior est qđ Germania. De Italia nihil affirmare possum. Anglia sola est quę sit exemplo.

Sed permulti apud uos sunt, qui uociferantur, neminem in sacro cōetu sententiam dicere posse, præter eos qui in Ecclesia nostris moribus nomen dignitatemq; essent consecuti, quorū clamores si comprobentur, si nulla ratio uitę atq; eruditio[n]is habeatur, quellaus poterit esse Conciliorum? Hic igitur hortandus à uobis Pontifex est, ut à Regibus impetrat, & ex omnibus Christiani nominis gentibus atq; nationibus viros honestissimos, doctissimos, sanctissimos conuocet, ut pristina auctoritas Conciliorum aliquando bene laudatęq; deliberando recuperetur, quam superiores conuentus summo cum dedecore amiserunt. Nam illud etiam cauedum est, ne illorum sententia ualeat, qui statuunt Lutheranos propterea audiendos nō esse, quod decreta Conciliorum uiolatint. Nemo enim adhuc illud potuit publice probare: & ea demū Concilia ualere debent, quæ nihil quod Apostolorum scriptis contrarium sit, decernunt. Testes sunt libri illorum quos uocatis Lutheranos, nihil eos contra Christi gloriam, & Apostolorum instituta, & ueterum Conciliorū rationem, quæ canon posteris esse debebat, scripsisse. Tollantur hic insignes & pulchri tituli, recedant male comparati honores, locum nullum habeant fraudes, sed uitę integritas ualeat, doctrina sana spectetur, & studium uerum adhibeatur, florentem Ecclesiam uidere optamus, et gregē Christi ualevitę, copiosumq; retinere uolumus. Ad hāc rationē maximū uos adiumenta adferre potestis, ex eaq; re aliquid

quando uerum fructū prudentiæ capere: nihil uobis ad
summos atq; sanctissimos honores deerit, si uesta uita
ture atq; industria bene beateq; uiuamus. Quæ enim ui
ta esse potest in hac uastatione religionis, & in hoc cere
moniarū contaminato usu, in tantis tamq; pestiferis of
fensionibus atq; discordijs. Hic ego rursus tuam Conta
rene singularem doctrinam imploro, & te Federice So
lernitanæ, per illam recusatam amplissimā dignitatem,
quam quoniā semel nō admisiſti, maiori es dignus,
obſecro: & te Sadolete per eas laudes, quas ex ſtudijs
conſecutus es, uosq; quibus tanta deliberatio commen
data eſt, oro atq; obteſtor, ut per uos inſtaurentur uete
ris disciplinæ fundaſta, ut reſtituatur doctrina, ut ue
tisti canones ualeant, ut conſuetudo deprauata & per
uersa ceremoniarum emendetur.

Hæc uobis occasio neq; remittenda neq; pretermitten
da eſt, ſi cupidi ac ſtudio ſi religionis uideti uultis. Nam
quod uos metuitis uanum eſt, non poſſe inter nos con
uenire, neq; ullam collocutionem ad concordia profu
turam, propter inuerteratas hominū uoculas, tolli à no
bis ceremonias, neq; quicq; uobis concedi poſſe, quod
cunq; poſt Apostolorū institutionem auctum eſſet. Pri
mum enim quod de ceremonijs dicitur, mentitū & fal
ſum eſſe dicimus, & re ipsa comprobamus. Nam cum
tria genera ſint ceremoniarū, unum quod neceſſarium
eſt, ſummo ſtudio conſirmamus, alterum quod falſum
impiumq; eſt, non ferimus: tertio, quod in medio poſi
tum eſt, moderationem adiungendā ſentimus. Si enim
aliqua eſt ἐπιστολα, quam Paulus ad conſeruandam con
ſirmandamq; eam fidem, quam Deo Christoq; adhi
bendam & tribuendam p̄cipit, eam neceſſe eſt in ne
cessarijs

cessarijs ac cōmoderatiſ effe posita. Qui uero falsas & imitatione ſimularas, atq; impias tuentur, aut quod ueritas requirit, non intelligunt, aut propter priuatas comoditates, aut per negligentiam, id quod neceſſarium eſt, nolunt corrigi. Quoniam hoc diſcriben non animad uertis Sadolete, criminose & ſuspicioſe obijcis, abiſci a nobis gradus ordinum, & cœtus templorū, & genuum flexiones, & in templis Symphonias & thutibula, euerti etiam Eccleſiam catholica, ut ſublata uerſta tandem authoritate, nullum nephias nobis aut in ſcelere aut in libidine eſſet. Quæcumq; ceremoniaſi non uſq; quaq; at quocumq; modo religioni cōſentiuunt, cōcedimus, imò illud etiam permittimus, ut quodcumq; religionem nō uiciat, publico consenſui relinquamus. Non enim ob has ineptias, uerſram potentiam refugimus, quanquā uelim Sadolete oſtendī abs te, quibus in concilijs unq; de illis aris, & igni, & uerſtu precioso, de quibus ſcribis, uſq; ſit agitatum.

De festis diebus Sabbatiſ Iudæus rixas q uafdam & tutbas fecit, & de eadem re inter Polycratem atq; Victorē fuit contentio, ſed ſciſ tu ab Irenæo hanc discordiā improbatam eſſe, propterea quod feſtorum dierum & ieiuniorū diuerſitas, religionis & Christianæ fidei conſociationem non uiolat. Quid in literis ad Ia nuariū Augustinus agit: nōne idem quod nos flagitamus, moderationem ceremoniarum requirit: no nre onera illa Iudaicis institutis grauiora deplorat: Quid iam faceret, cū omnia libidini & ambitioni & auaritiæ parent: Quid de his ineptijs Esaias, quid Ieremias, quid Amos pronunciant: Esaias has ceremonias, atq; hanc cōſuetudinem deprauationē, & uanitatē, & imbecillitatē post Iudæorum

Indicorum uastationē futurā prouidit, & diserte explicat: at nos ea quasi à nobis lecta nō sint, dissimulamus.

Neq; hic video quid nobis obijcere possitis præter canonum & Ecclesiæ authoritatem, quam nos saluam ualentemq; uolumus. Sed illud perpetuum in legibus manere debet, ut sacerdotes bene sancte cœuiuant, recte docent, præsentes ipsi coram adsist Ecclesiastū administratioi, ejciantur Simoniaci, neq; ei cōmittatur Ecclesiæ curatio, quem curia distrahit, quem auocat uenationes. Quamdiu hæc cōceduntur, quamdiu impunitatem & licentiam habet, quomodo religio retineri, quomodo ceremoniarum usus à contagione remoueri potest: Minima enim parte depravata, nō possunt ceteræ sanè persistere. At uos morbos quos uestigatis, assignare nō uultis, neq; uicioas partes curari sinitis, & pluris thuribulorum fumos, & ceruicum inclinationes, & uestium ap̄paratum, quam scientiam religionis, & Dei metum, cultumq; ueterem facitis: cū hæc necessaria sint, illa uero ad salutem nihil conducant. Essent tamen hæc, quoquo modo fieri possit, ferēda, sed illa dissimulari neq; defendi possunt, pollutum Eucharistiæ & fixarum ceremoniarum usum non agnoscere, ueniam dari impudicæ atq; impuræ monachorum & sacerdotum uitæ, & qui eana emendare conantur exturbare, & indignos sanctorum hominum consortione iudicare. De hac peruersitate iudiciorum solliciti sumus & angimur, non ceremoniarū reuerentiam infringere conamur. Quęcūq; salua religione manere possunt, ea uobis concedimus: duntaxat illud efficite, ut ea instaurentur, sine quibus neq; Ecclesiæ dignitas, neq; Christiani nominis authoritas poterit consistere. Venio nunc ad alterum quod nobis ad coētū

undam

andam concordiam obstat videtur. Querimini enim
nimium nos duros & barbaros esse, & moliri etenim
nem omnis ditionis, & profligationem facultatum Ec-
clesiasticarū. Hoc ferri non posse, & inueteratā iam eam
esse consuetudinē, & nobiles multos, maximasq; fami-
lias honorifice auctas esse, à quibus sine maximis offen-
sionibus, & summis periculis tantæ cōmoditates aufer-
ti non possunt. Si in hoc summa difficultas est, liberati

*Ecclesia
tria homi-
nis q̄ uita
guitur
natur.*

tandem maximis molestij cōiungemur. Nam cum in
Ecclesia tria uersentur hominum genera qui eam guber-
nent, unum qui idonei sunt ad docendum, alterum ad
ditionem atq; opes tutandas, tertium quod tametsi us-
trumq; s̄pē numero consequatur, ad neutrum tamen
aptum habet ingenium: si hoc postremum rejici parie-
mini, & altera illa duo distingui sinetis, spero deletri pos-
se omnem discordiarum memoriam, id quod in uestro
consilio promittitis. Requiritis enim administrorū do-
ctrinam & sanctimoniam. Date tales qui id uere possunt,
ut & doctrina, & uitæ innocentia, populo p̄r̄eant, &
eos ab illis qui rem pecuniariam & Respu. gubernant,
discriminate, sperabimus recte definiti atq; temperari
posse simultatū moderationem. Non deertunt, ne qui-
dem maximarum familiarium viri, quos pudebit Euani-
gelij, & inuenientur qui fideliter uolent facultates Ec-
clesiasticas conseruare. Tyrannis persuaderi nō potest,
3 amari & coli glorioſius esse quam metui. At pudeat esse
aliquem Christiani nominis, qui opinetur maiorem in
immani potentia dignitatē positā esse, quam in Euani-
gelij professione tali, quæ cum sanctimonia uitæ nō pu-
gnet. Nam quod hæc duo distincta uolumus, moue-
mur multorum & maximorum uitorum sententijs. Ut
gloriosius ē amari et coli q̄ metui.
enim

enim de Augustino & Ambrosio, & de cæteris patribus Episcopis nihil commemorem, nomine Chrysostomus in Homilia 86. concione illa, quæ ex centum constabat hominum milibus, grauissime queritur, auocari à curatione Ecclesiæ Episcopos, occupationibus rei pecuniariæ. Apostoli etiam Episcoporum & Diaconorum munera distinxerunt: neq; discriminata hęc duo essent, nisi diuinitus moniti, prouidissent, fore aliquos aliquando, qui ne quidem definitam rationem essent seruaturi.

Verum dicat fortasse aliquis, multas opes ad Ecclesiā nobilitatem contulisse, cuius liberalitatis fructum iam posteros capere decebat: Primū neq; ab Euangelij professione, neque pecuniarum & ciuitatum gubernatione excluduntur. Deinde si qui sunt qui neutrū neq; uelint, neq; possint suscipere, extant leges quæ iubent, ut illorū ratio cum res, cum locus exigit, habeatur, de quorū maiorum erga Ecclesiam benignitate constaret. Postremq; cunctæ opes ita dispensandæ sunt, ut ne quis egeat, & ordo quidam moderatioq; adhibeatur pro personarum & conditionum uarietate. Quæ ita demum retineri debent, ut ne religio uitietur, ut æquabilis fiat per singulos ordines atq; conueniens distributio.

Care possumus in Ecclesia Christi, opibus, doctrina uero si spoliemur, uniuersa necesse est religione destituta mut. Itaq; de opibus non pugnamus, doctrinam requisitus, ueros ministros desideramus, flagitamus cōuentum liberum, in loco ad libertatem tuto, ad quem virtu docti, pij, sancti q; conuocentur: ad quem impuri, & scelerosi, & indocti non admittantur. Hęc si concedantur, & in his adiutores esse uoleatis, relinquemus nobilitati, si id studeant; Bona enim Ecclesiastica, illis qui plus

G possunt

possunt, non damus uerum neq; recusamus si petant. Si aurū, & opes, atq; Rerumpub. gubernationē ambiunt, nullas tixas facimus: non enim hēc nos quæritus, neq; his ablatis Ecclesia nulla est, modo doctrina maneat & floreat Euangelium. Sacrilegium reprehendendū atq; nefarium est, & multe de hoc leges extant: & sacrilegiū est, non dispensare facultates illis qui egerint: sed qui id agunt, peccant, non conselerati qui desituantur. Sic se res habet, Ecclesiarum hoc tempore maximæ copiosissimæq; sunt facultates: harum sanctam dispensationem requirimus, uerum Doctoribus Euangelij, & administris Ecclesiarum eam cōmitti nolumus. Si qui præficientur, recte carent, gratulandum utilitatibus Ecclesiæ est: sin minus, neq; per potentiam emendari potest, dolendum quidem est, at ita ut non angatur, neq; diuitias potius quam Euangelij progressus videamus quærere. Decidamus igitur de doctrina, de Sacramentis, de disciplina, de ceremonijs, nihil de opibus litigabimus, quibus carendū potius est, quam ob eas Christi gloriam impediri. Nihil nobis ad summā tranquillitatē deesse video, si animorum offensiones tollantur. Vos quoniam nostrorum hominum scripta non legitis, alienati iniquorum sermonibus, creditis uaestationem rectorum institutorum à nobis excitari. Nos etiā quoniā multis exemplis terremur, nō possumus eo adduci, ut oēm suspicionē deleamus, atq; credamus, uestra studia uera esse, & ad iustum Ecclesiæ emendationē conuersa. Si uobis de nostris cogitationibus atq; curis fides fieri possit, & si signa nos aliqua certa teneremus, uestre diligentie atq; fidei, essemus tandem liberati molestijs, & cōmunijs cōsilijs que optima uideretur, statueremus.

Credo

Credo ego uos non ex illis esse, qui per vim sperent uestrā potentiam tueri, & aduersarios opprimere posse. Memini cum Lutherus solus esset, & se uniuerso orbi di laniandum proponeret, neminem extitisse in maximis offensionibus & summa solitudine, qui potuit uitā au ferre. Paucis annis ita aucta sunt hæc studia, ut non multum uestras minas extimescant. Habent clarissimas si gnificationes diuine voluntatis, ut si quid conatur sitis, sperent nullum bellum fortunatū euentū habere posse, quod contra illos suscipitur, qui propter religionis studiū in discrimen uocantur. Quamobrem uos dum tempus est, cogitate atq; circumspicite: Si ratione agendū sit, nullo negocio nostrā causam, modo aliqua sit futura iudicū æquitas atq; iusticia, defendemus: si ui & amis, primū illud crudele est, Christiani nominis Resp. delere: deinde magno cum periculo coniunctum, propter auctas aduersariæ partis vires, ad quas fortasse magnæ fient accessiones, cū crudelitatis atq; uolentē potentiæ signa dabitis. Postremo ut illud concedam, posse uos aut iniquo iudicio, aut ui ad id peruenire quod cogitatis, tamen in hac crudelitate & iniusticia, & in illo an gore conscientię, neq; cum laude, neq; cū uoluptate que quidem excusetur, uitam agere possitis. Non talis potest esse uastatio, ut non fundamēta & radices maneant, unde semper succrescent, qui poterunt iudicare. Deinde si omnia profligabitis, tñ est Deus qui intuetur omnia, & vindicare potest: est Christus in cuius ditione & protestate nos oēs sumus, qui ut salutis orbis author extitit, ita etiam profligatae religionis poterit esse recuperator.

Hæc ego Contarene non eō dico, quod uestra consilia ad perniciem spectent, sed quod apud uos sint, quo

G 2 cum sens-

rum sententiae si ualebunt, plures & maiores sunt in Ecclesia Christi acerbitates orituræ, quām antehac inde ab initio uidimus. De uobis uero sic statuo, esse Deum, qui uestra consilia possit gubernare, non deesse uobis doctrinā, prudentiam, & studium atq[ue] ardorem: posse uos prouidere, esse gratum Deo & apud homines propter maximas commoditates gloriosum, restituere doctrinam, constituere qui uelint & possint docere, corriger ceremonias, distinguere ministros, & hisce rebus posse reduci ueterem disciplinam, sine qua neq[ue] dignitas laudabilis, neq[ue] autoritas diuturna, neq[ue] religio florere potest. Nullus enim honos in fœda gubernatione & uituperatione uitæ, laudem habet, neq[ue] voluntaria obteneratio, neq[ue] præclara uoluntas erga eos esse potest, qui officium suum non faciunt. Doceri homines & adiuuari uolunt, hinc enim multorum gratia comparantur, & conciliatur autoritas: cum negliguntur, cum officia in magistratu desiderantur, ibi tum omne authoritatis pondus imminuitur, neq[ue] quisquam nisi aut coactus, aut adulator, aut leuis & inconsiderans, obseruantiam præstat. Quo fit, ut cum authoritate & ornamento tollantur, & impediantur progressus religionis.

Quamobrem præsidium labenti atq[ue] inclinatae religioni fert, & illos graues, inueteratosq[ue] & desperatos morbos, quibus affecta Ecclesia est, & intabescit curate, & quoniam multa magnaq[ue] uicia agnoscitis, & plura sunt quæ à uobis nō indicantur, patiamini nostros fundamenta apud suos religionis instaurasse, neq[ue] moram & impedimentum operis perfectioni inferte. Quod si sunt, quemadmodum esse dicitis, quæ probari non possunt, agatur conuentus de omnibus rebus rationibusq[ue], & sine

& sine fraude & libere decidatur. Depellantur omnes
animi affectiones, quæ ueritati obstat possunt, & ad
eas ueniamus, quæ noceant nemini, leges non uiolent,
retineant æquitatem. Nam quæ potest esse ullius cœtus
comprobatio, quæ excusatio, quæ uenia, in quo priuatæ
cōmoditates spectantur, cædium atq; suppliciorum occa-
siones captantur, uicijs diuerticula dantur. Omnis
enim solemniū conciliorum ratio, pro publicis utilitati-
bus est suscipienda, & uitanda crudelitas, & in curandis
morbis fides constantiaq; adhibēda. Itaq; absit cupiditas,
repellaq; crudelitas, faceat qui uicijs indulget: qui-
bus uero cōmunes cōmoditates caræ sunt, & grata est
æquitas atq; iusticia, & qui constantia prudenteriaq; sunt
prædicti, conquerantur. Si quæ unq; fuerunt, aut esse pos-
sunt tempora, quibus hisce remedij & horū uititorum
industria opus fuit, sunt certe nostra talia, quibus pro-
pter inquietata mala, nullæ nisi periculose & ancipites
curationes accommodati possunt. Habent enim nunc
uicia datam à tot annorum cōsuetudine defensionem.
Sed cum occultatrix sit uiciorum consuetudo, cum bar-
baries omnia per tantum temporis curriculum occupa-
tit, cum concilia non ad emendationem malorum, sed
ad ambitionis fastusq; propugnationē coacta sint, cum
aut nullus aut nemo extiterit, qui & uoluit & sine peri-
culo potuit morbos indicare, & adferre remedia: ue-
strum iam est, in hac luce ueritatis, in hac potestate quæ
uobis à Pontifice facta est, in tot tantisq; acerbitatibus
quibus affligimur, & in his discordijs dare salutem, con-
ciliare pacem & concordiam, defendere ab augescenti-
bus calamitatibus orbem, nouas radices uerae religio-
nis, reuocata ueteri disciplina, agere & propagare. Co-

G, gitate


gitate supra nos, qui mundum creavit, eundemque gubernat, spectatorem & iudicem uestrorum consiliorum esse, quem nisi salutaribus cogitationibus atque consilij placare non potestis. Etiam illud considerate esse in hac uita neque unquam defuturos, qui de uestra uita & mortibus uere iudicent. Hi nisi uestrotu factorum rationem habeant, non poterunt eam quae necessaria est, autoritatem vobis concedere. Valete.

Argentorati tertio Non.

Aprilis.



EX OFFICINA CRATONIS MYLII
ARGENTORATEN. ANNO
M. D. XXXVIII.



Walter Schellino

Digitized by Google

